

non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt à me. Et venit.

Lectio ij.

Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtive suscepti auris mea venas susurri ejus. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt: Et cum spiritus me præsentem transiret, inhoruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audivi. Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem.

R. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertere nitimini amicis vestrum? **V.** Veritatem quæ cogitastis, explete. **Q.** Quod iustum est, iudicâte; & non inveniatis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Glória Patri. Veritatem.

F E R I A S E X T A .

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 6.

Respondens autem Job, dixit: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statéra. Quasi arena maris hæc gravior appareret: undè & verba mea dolere sunt plena: Quia sagittæ Dòmini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Dòmini militant contra me.

R. Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est: Memento mei Dòmine, quoniam ventus est vita mea, & dies mei velocitè transierunt, quam à texente tela succidit.

& consumpti sunt absque ulla spe. Memento mei.

Lectio ij.

Numquid rugiet ónager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum antè præsepe plenum steterit? aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Quæ prius nolèbat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.

R. Paucitas dierum meorum finiendum brevi: dimitte me Dòmine, ut plangam paululum dolorem meum, & antequam vadam ad terram tenebrosam, & operam mortis caligine.

V. Manus tuæ Dòmine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Antequam. **Lectio iij.**

Quis det ut veniat petitio mea: & quod expècto, tribuat mihi Deus? Et qui cepit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea anea est. Ecce, non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt à me.

R. Non abscondas me Dòmine à facie tua: manum tuam longè fac à me: **V.** Et formido tua non me terreat. **Q.** Corrìpe me Dòmine in misericordia, non in furóre tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Et formido. Glória Patri. Et formido.

S A B B A T O .

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 7.

Multis est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii, dies ejus. Sicut ser-

vus

vus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatúr finem operis sui: Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursus expectabo vesperam, & replèbor doloribus usque ad tenebras.

R. Quis mihi tribuat, ut in inferno pergas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus Dòmine, nisi tu, qui solus es Deus? **V.** Et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei. **V.** Numquid sicut dies hominis, dies tui, ut quæras iniquitatem meam: cum sit nemo, qui de manu tua possit erigere? Et constituas. **Lectio ij.**

Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est. Dies mei velocitè transierunt quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Memento quia ventus est vita mea, & non revertetur oculus meus ut videat bona. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam.

R. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statéra. **V.** Quasi arena maris hæc gravior appareret, undè & verba mea dolore sunt plena. Et calamitas. **Lectio iij.**

Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descendit ad inferos, non ascendet. Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscat eum amplius locus ejus. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Numquid mare ego sum, aut cætus, quia circumdedisti me carcere?

R. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba com-

ponitis, & subvertere nitimini amicis vestrum? **V.** Veritatem quæ cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicâte; & non inveniatis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Glória Patri. Veritatem. **Ad Magnificat, Antiphona.**

In ómnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.

D O M I N I C A I I .

Septembris.

In primo Nocturno.

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 9.

Et respondens Job, ait: Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furóre suo.

R. Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non sustineamus? Dòminus dedit, Dòminus abstulit: sicut Dòminus placuit, ita factum est: sicut nomen Dòmini benedictum. **V.** Nudus egredus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dòminus dedit. **Lectio ij.**

Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiantur. Qui præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo: Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Orióna, & Hyadas, & interiõra Austri. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.

R. Antequam comedam, suspiro, & tanquam inundatis aquæ, sic rugitus meus: quia timor, quem timebam, evénit mihi; & quod verèbar, accidit: nonne simulavi? nonne silui?

R 3

non-

nonne quievi? * Et venit super me indignatio. **V.** Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me, Et venit.

Lectio ij.

Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondēbit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis? Deus, cujus ira nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.

V. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertere nitimini amicum vestrum? Veritatem quae cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicate; & non invenietis in lingua mea iniquitatem. Veritatem: Gloria Patri. Veritatem.

In secundo Nocturno.

Ex libro Moralium Sancti Gregorii Papae.

Lectio iv.

Vere scio quod ita sit, & quod non iustificabitur homo compositus Deo. Homo quippe Deo non compositus iustitiam percipit, compositus amittit: quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono se, quod accēperat, privat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Unde ergo despectus erigitur, dignum est ut erectus inde destruat. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostrae meritum, esse vitium conspiciat, si ab interno arbitrio districte iudicetur, recte subiungit: Si voluerit contēn-

libro 9. cap. 2.

dere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.

V. Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est: Memēto mei Dōmine, quoniam ventus est vita mea. **V.** Dies mei velocitibus transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Memēto mei.

Lectio v.

In Scriptura sancta millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait: Verbi, quod mandavit in mille generationes: cum profectio constet, quod ab ipso mundi exordio usque ad Redemptoris adventum per Evangelicam non amplius quam septuaginta & septem propagines numerentur. Quid ergo in millenario numero, nisi ad proferendam novam sobolem perfecta universitas praescitae generationis exprimitur? Hinc & per Joannem dicitur: Et regnabunt cum eo mille annis: quia videlicet regnum sanctae Ecclesiae universitatis perfectione solidatur.

V. Paucitas dierum meorum finiatur brevi: dimitte me Dōmine, ut planquam paululum dolorem meum, Antequam vadam ad terram tenebrosam, & operam mortis caligine. **V.** Manus tuae Dōmine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente praecipitas me? Antequam.

Lectio vi.

Quia verò monas decies multiplicata in denarium dicitur, denarius per semetipsum ductus in centenarium dilatatur; qui rursum per denarium ductus, in millenarium tenditur: cum ab uno incipimus, ut ad millenarium veniamus, quid hoc loco unius appellatione, nisi bene vivendi initium: quid millenarii numeri amplitudine, nisi ejusdem bonae vitae perfectio designa-

natur? Cum Deo autem contēdere, est, non ei tribuere, sed sibi gloriā suae virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia & qui summa iam dona percēpit, si de acceptis extollitur, cuncta quae accēperat, amittit.

V. Non abscondas me Dōmine à facie tua: manum tuam longē fac à me: * Et formido tua non me terreat. **V.** Corrīpe me Dōmine in misericordia, non in furōre tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et formido. Glōria Patri. Et.

R. vij. Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus Dōmine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei. **V.** Numquid sicut dies hominis, dies tui, ut quaeras iniquitatem meam: cum sit nemo, qui de manu tua possit eriere? Et constituas.

R. viij. Duo Sēraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dōminus Deus Sābaoth: * Plena est omnis terra glōria ejus. **V.** Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glōria Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio i.

Addidit quoque Job, assumens parabolam suam: & dixit: Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem addixit animam meam. Quia donec superest hālitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit à me ut justos vos esse iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

R. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium: * Parce mihi Dōmine: nihil enim sunt dies mei. **V.** Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt. Parce.

Lectio ij.

Justificatiōnem meam, quam ceppi tenere, non deseram: neque enim reprehēdit me cor meum in omni vita mea. Sit ut impius, inimicus meus: & adversarius meus, quasi iniquus. Quae est enim spes hypocritae si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus? Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia? Aut poterit in Omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?

R. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, * Et calamitas quam patior, in statera. **V.** Quasi arena maris haec gravior appareret, undē & verba mea dolore sunt plena. Et calamitas.

Lectio iij.

Docebo vos per manum Dei quae Omnipotens habeat, nec abscondam. Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini? Haec est pars hominis impii apud Deum, & haereticas violentorum, quam ab Omnipotente suscipiunt. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepeliuntur in interitu, & viduae illius non plorabunt.

V. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertere nitimini amicum vestrum? * Veritatem quae cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicate; & non invenietis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Glōria Patri. Veritatem.

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 28. b.

Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentia? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non confertur tinctis India coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est: Memento mei Domine, quoniam ventus est vita mea. Dies mei velociter transierunt, quam a texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Memento mei.

Lectio ij.

Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri: Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia, nec tinctura mundissime componetur. Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentia? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet. Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.

Paucitas dierum meorum finietur brevi: dimitte me Domine, ut plangam pœlulum dolorem meum, & Antequam vadam ad terram tenebrösam, & operam mortis caligine. Manus tua Domine fecerunt me, & plasmarerunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Antequam.

Lectio iij.

Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia,

quæ sub cœlo sunt, respicit. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Quando ponêbat pluvius legem, & viam procellis sonantibus: Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.

Non abscondas me Domine à facie tua: manum tuam longè fac à me: Et formido tua non me terreat. Corripe me Domine in misericordia, non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et formido. Glória Patri. Et formido.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 31.

PEpigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem Omnipotens de excelsis? Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam? Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? Si ambulavi in vanitate, & festinavi in dolo pes meus: Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.

Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec petransseat furor tuus Domine, nisi tu, qui solus es Deus? Et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei. Numquid sicut dies hominis, dies tui, ut quaras iniquitatem meam: cum sit nemo, qui de manu tua possit erüere? Et constituas.

Lectio ij.

Si declinavit gressus meus de via, & si secutum est oculus meos cor meum, & si manibus meis adhesit macula: seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meum super mul-

liere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurverunt alii. Hoc enim nefas est, & iniquitas máxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui. Et calamitas quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret, undè & verba mea dolore sunt plena. Et calamitas.

Lectio iij.

Si contempsit subire iudicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceperent adversum me. Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondero illi? Numquid non in utero fecit me qui & illum operatus est: & formavit me in vulva unus? Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculis viduæ expectare feci: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.

Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertere nitimini amicum vestrum? Veritatem qua cogitastis, explete. Quod justum est, iudicâte, & non invenietis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Glória Patri. Veritatem.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 38.

Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi. Ubi eras quando ponêbam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensu-

ras ejus, si nosti? vel quis terendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus, cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?

Si bona suscepimus de manu Dei, malâ autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revêrat illuc Dominus.

Lectio ij.

Quis conclussit ostiis mare, quando erumpêbat quasi de vulva procedens? Cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantia obvolverem? Circumdedit illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? Et tenuisti concitans extréma terræ, & excussisti impios ex ea?

Anquam comedam, suspiro, & tamen inundantes aquæ, sic rugitus meus: quia timor quem timebam, evénit mihi; & quod verberabam, accidit: nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? Et venit super me indignatio. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt à me. Et venit.

Lectio iij.

Restituetur ut lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum: Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur. Numquid ingressus es profundâ maris, & in novissimis abyssi deambulasti? Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrösâ vidisti? Num-

Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit: Ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.

R. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertete nitimini amicum vestrum? **V.** Veritatem quam cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicâte, & non inveniatis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Gloria Patri. Veritatem.

F E R I A S E X T A.

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 40.

R. Espôndens autem Dôminus Job de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: & indica mihi. Numquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, ut tu justificeris? Et si habes brachium sicut Deus, & si voce similis tonas? Circûda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosus induere vestibus.

R. Indata est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est: **V.** Meménto mei Dômine, quoniam ventus est vita mea. **V.** Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Meménto.

Lectio ij.

D. Isperge superbos in furoré tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & cõtere impios in loco suo. Abscõde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam: Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet: Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.

R. Pãucitas dierum meorum finietur brevi: dimitte me Dômine, ut plangam paululum dolorem meum.

V. Antequam vadam ad terram tenebròsam, & opertam mortis caligine. **V.** Manus tuæ Dômine fecerunt me, & plasmarunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Antequam.

Lectio iij.

Cap. 42.

R. Espôndens autem Job Dômino, dixit: Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excēderent scientiam meam. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago penitentiam in favilla & cinere.

R. Non abscondas me Dômine à facie tuæ: manum tuam longè fac à me: **V.** Et formido tua non me terreat. **V.** Corripe me Dômine in misericordia, non in furoré tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et formido. Gloria Patri. Et formido.

S A B B A T O.

De libro Job.

Lectio j.

Cap. 42. b

P. Ostquam autem locutus est Dôminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themaniten: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

R. Quis mihi tribuat ut in inferno pro-

protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus Dômine, nisi tu, qui solus es Deus? **V.** Et constitutus mihi tempus, in quo recorderis mei. **V.** Numquid sicut dies hominis, dies tui, ut quæras iniquitatem meam; cum sit nemo, qui de manu tua possit erigere? Et i.

Lectio ij.

A. Biērunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dôminus ad eos, & suscepit Dôminus faciem Job. Dôminus quoque conversus est ad penitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dôminus omnia quæcumque fuerant Job, duplicata. Venērunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dôminus super eum: & dederunt ei unusquisque ovem unam, & in aurem auream unam.

R. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, **V.** Et calamitas quam patior, in statéra. **V.** Quasi arena maris hæc gravior appareret, undè & verba mea dolere sunt plena. Et.

Lectio iij.

D. Ominis autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ. Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ. Et vocavit nomen unius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertie Cornustibi, non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filie Job in universa terra: deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post hæc, centum

quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem, & mortuus est senex, & plenus dierum.

R. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, & subvertete nitimini amicum vestrum? **V.** Veritatem quam cogitastis, explete. **V.** Quod iustum est, iudicâte; & non inveniatis in lingua mea iniquitatem. Veritatem. Gloria Patri. Veritatem.

S A B B A T O

Ante Dominicam iij. Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ne reminiscaris Dômine delicta mea, vel paréntum meorum: neque vindictam sumas de peccatis meis.

D O M I N I C A I I I.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Tobie.

Lectio j.

Cap. 1.

T. Obias ex tribu, & civitate Néphthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam, quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet) cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie conceptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, imperitiret. Cumque esset junior omnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

R. Peto Dômine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me: **V.** Ne reminiscaris delicta mea, vel paréntum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis: quia æruis suscipiente te Dômine. **V.** Omnia enim judicia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericordia & veritas: & nunc Dômine meménto mei. Ne reminiscaris.

Lec-